

FUNDAMENTUM LIBERI EXERCITII
Religionis Evangelicæ in Polonia et M. D. S.

Accensâ, circa Annum 1517. in vicina Germania Evange-
lij Luce, statim diversis in locis Regni Polonia, hæc reformatâ pro-
pullulabat Doctrina, et quidem eò cum successu, ut non ex Ordine
solum Equestri inferiore plurimi, sed et ex Ordine Superiori, sive Senatu,
non pauci, in bonis et ditione quisque sua, per Ministros ex Bohe-
mia et Germania rite vocatos, Sacra secundum Evangelium reformatâ,
liberrimè exercuerint. Et ut hoc Exercitium altiores ~~radices~~ radices
agere, etq; successu temporis felicius succrescere possit, non solum
a° 1563. in Comitijs, Evangelici Reformati Confessionem suam typis
exscriptam obtulerunt Sigismundo II. Augusto, ab eòq; responsum
sive potius Confessionis hujus approbationem, Petricoria a° 1564.
d. 31. Oct. obtinuerunt, sed abhinc etiam per sexennium, Synodis
suis passim liberè habitis, tandem a° 1570. Synodum Generalem
seu Nationalem, in Aprilis, SENDOMIRIÆ, celebrant, in eaq;
CONSENSUM MUTUUM, inter Augustanos et Reformatos, sta-
biliverunt, cum Approbatione et Subscriptione plurimorum tam
ex Senato quàm Equestri Ordine: uti hæc Acta typis exscripta,
et per universam Europam vulgata, abundè testantur. Nulla
tum factâ, imò ne auditâ quidem, contra hanc Exercitij Evan-
gelici Libertatem, Partis Romano-Catholicæ Protestatione.

Post obitum Regis SIGISMUNDI AUGUSTI, facta est
CONFEDERATIO OMNIUM ORDINUM REGNI, War-
savia a° 1573. in Januario: in hac, quàm sollicitè Nobilitas
Libertatibus suis, non in Civilibus tantum, sed et in Spiritua-
libus caveat, ostendunt Verba, in Volum: Constit: p: 208. 209.
In Regem non consentiendum prius, quàm Jura Nostra omnia
post Electionem illi offerenda, jurejurando confirmarent, "
A mia nonicic fo poprzytygdz, etc: etc: hoc est: Inprimis "
venè jurejurando recipiat, Pacem Universalem inter Dis- "
sidentes in Religione conservare et tueri. A iz w Dzewygo "
spolitey naszey nie maie jest Dissidium, etc: hoc est: Quando, "
quidem autem in hac Republica, non parvum reperitur dis- "
sidium in causa Religionis Chriana; occurrendo, ne eâ de "
causa inter incolas perniciofa aliqua Seditio oriatur, cujus "